



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro Alberto Comiti de Thaisburg.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

rum quatenus ei de cetero sicut Regi vestro in Romanorum Imperatorem electo reverenter & humiliter deferatis, regalem ei honorificentiam & obedientiam impendentes. Si enim salubribus monitis & consiliis nostris, quæ de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt, prudenter ac reverenter curaveritis acquiescere, nos cum eodem & pro eodem Rege ad honorem & exaltationem imperij efficaciter intendemus, cum & ipse nobiscum pariter & pro nobis ad honorem & exaltationem Ecclesiæ intendere debeat, ut speramus; ita quod eo faciente qui est Rex Regum & Dominus dominantium, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, regnum & sacerdotium diebus nostris mutuis subsidiis optatum recipient incrementum. Super primis etiam juramentis illud auctoritate apostolica statuimus quod ad purgandam & famam & conscientiam redundabit. Eis autem qui super hoc monitis, consiliis, & mandatis nostris humiliter acquieverint, super honoribus, dignitatibus & possessionibus suis apud prædictum Regem & suos curabimus utiliter providere. Quod si etiam idem nobilis vir Philippus de plano acquiescere vellet & Deo & Ecclesiæ satisfacere competenter, paterna eum curarem sollicitudine confovere & ad honorem & profectum ejus intendere diligenter. Datum ut supra.

*Scriptum est in eundem modum eisdem usque ne quid ex contingentibus omittere videamur, cum dispendium Ecclesiæ, quæ diutius nec valet &c. usque in finem.*

*Scriptum est in eundem ferè modum ministerialibus.*

**ELECTO ET CAPITULO  
Hildesheimensi.**

*Epist. 34.*

**Q**uantum gratiæ & favoris vobis exhibuerit apostolica sedes non oportet nos literis explicare, cum res ipsa testimonium perhibeat veritati. Vnde tanto vos credimus faciliores & devotiores ad implendum nostrum beneplacitum invenite quanto magis benevolentiam nostram experti, de ipsa sumpistis expressius argumentum. Cum ergo Ecclesiæ Romanæ dispendium, quæ diutius nec vult nec potest idoneo defensore carere, sustinere nolimus ulterius vel dissimulare jacturam tam imperij quam populi Christiani, cum etiam eorum utrique qui in Theutonia electi dicuntur favere ad obtinendum imperium non possimus, nec credamus tam personæ in imperio quam imperio in persona idonea providendum, sitque reputandus ad hoc dignior qui magis idoneus reperitur, personam nobilis viri Philippi Ducis Sueviæ propter impedimenta patentia quoad imperium obtinendum, præsertim hoc tempore, penitus reprobamus, & juramenta quæ ipsi ratione regni sunt præstita decernimus non servanda, & carissimum filium nostrum Ottonem, quem esse novimus virum industrium & prudentem, fortem & strenuum, in Regem recipimus, & regalem ei præcipimus ab omnibus honorificentiam exhiberi. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur in Domino; & per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsi firmiter adherentes

tamquam Regi vestro in Romanorum Imperatorem electo & à nobis dante Domino coronando, honorem & reverentiam impendatis & fideliter assistatis eidem; ac quoscunque poteritis ad favorem & fidelitatem ipsius verbo & opere prudenter & efficaciter inducatis. Cum enim gratum nobis fuerit & acceptum quicquid auxilij & favoris ei hætenus est impensum, de cetero grave nobis existeret & molestum si quis se ipsi duceret opponendum aut ei fideliter non adesset. Datum ut supra.

*In eundem ferè modum scriptum est Saltzburgerse Archiepiscopo.*

**NOBILI VIRO ALBERTO COMITI  
de Thaisburg.**

**S**I nec simplex promissio quam viri nobiles & prudentes fecerint in re tam licita quam honesta revocari debeat, sed firmiter potius observari, ea multo magis est tenenda quæ sub obtestatione divini nominis, evangelij coram positis, exhibetur, cum nemo in vanum debeat assumere nomen Dei. Gaudemus ergo quod carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo juramentum fidelitatis, sicut accepimus, præstitisti, & ei disposuisti fideliter & firmiter adherere, sanè cum Ecclesiæ Romanæ dispendium, quæ diutius &c. in eundem ferè modum ut supra usque exhiberi. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur attentius, & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus in ejusdem Regis fidelitate fideliter & devotè persistas, & ipsi de cetero regalem honorificentiam studeas exhibere, ad honorem & exaltationem ipsius per te ac tuos prudenter & potenter intendens, nonobstante juramento si quod Duci prædicto ratione regni forsitan præstitisti, cum nos illud, eo reprobato, decreverimus non servandum. Datum ut supra.

*In eundem modum R. Comiti de Thaveskure. In eundem modum nobili viro Langravio.*

**NOBILI VIRO COMITI DE VIANNA.**

**E**xpectantes expectavimus olim ut Principes vel per se ipsos imperio utiliter providerent, vel super eo saltem divinum & nostrum auxilium implorarent. Ne autem expectando diutius dissimulare discordiam & dissimulando fovere forsitan videremur, eos ad concordiam per litteras nostras curavimus exhortari; ac postmodum, cum audissemus quod quidam eorum disposuerant ad commune colloquium convenire, consilium nostrum eis per proprium nuntium & litteras nostras fideliter duximus exponendum; tandem quoque Legatos nostros in Theutoniam destinantes, ipsos super utili provisione imperij mandavimus diligenter & efficaciter commoneri. Cum ergo Ecclesiæ Romanæ dispendium &c. in eundem modum ut in illa quæ sic incipit \* Quantum gratiæ, usque exhiberi. Monemus ergo nobilitatem tuam & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ipsi de cetero fideliter & constanter adherens & tamquam Regi in Romanorum Imperatorem electo & à

*Epist. 35.*

*Epist. 36.*

*\*id est, epi. 34.*